



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,
Academicarum Contemplationum Lib. X**

Piccolomini, Francesco

[Basel], 1590

VD16 ZV 12463

Vbi sit Deus. Cap. 8.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12918

sphæras, sempiternitas temporalis; in hæc demum, quæ sphærarum motu, virtuteq; fiunt, quædam portio téporis. Insuper in Deo, nulla est humana virtus, sed est scopus, & eminentissima ratio virtutū omnium; propterea regni sóns vniuersæ iustitiae, & supra iustitiam dicitur collocatus, quām iustus: & cùm in eo humanæ virtutes non insint, hoc est mirabile, quòd homo per virtutē redditur similis Deo. Cuius ratio duplex est: prima; quia virtus omnis est purificatio; animus purus, & sua puritate, & receptione Diuinorum munérum, est similis Deo: altera ratio est; quia quamuis Deus per formam non sit iustus, attamen est talis per caussam, & eminentiam.

Vbi sit Deus.

CAP. VIII.

Primum rerum omnium initium, ut à cæteris mensuris est liberum, ita à loco omni ex parte est solutum: nam si locum exposceret, non esset absolute primum, nec absolute principium; nam aliud supponeret. Verum, quia nos loco circumscripsi, alicubi ea omnia esse iudicamus, quæ sunt; propterea, ubi sit Deus, considerandum occurrit. Si quærimus, ubi sit Deus, & consideramus esse alicubi, ut corpora, vel formæ corporum sunt in loco; proculdubio Deus nullibi est. Insuper, si consideramus esse alicubi, ut anima, vel participat̄ mōtes; ita quoque

que nullibi est: non enim ad aliquam Mundi partem contrahitur, ut illæ. Demum, si consideramus esse alicubi, quia sit ubique: & ita sit ubique, ut omnia contineat, & à nullo continetur; sic Deus ubique esse dicetur. ideo iure de eo canitur: Cœlum, & terram ego impleo. insuper: Si ascendero in cœlum, tu illic es; & si descendero ad infernum, ades. Rectè quoque de eo dicimus, quod non propriè est ubique; sed potius ipse hoc ipsum est, quod à nobis appellari solet ubique: & est ubique Deus, per præsentiam, ut omnia cognoscens; per potentiam, ut omnia seruans: per essentiam, ut res nil aliud sunt, nisi eius umbra, & imitatio. Sic Deus cunctis rebus adest, ad ea non accedens: abest, non recedens; sed res potius accedere ad eum, & recedere dicuntur: nam procul abesse ab eo, est non esse; vel esse minus, & obscurius. Insuper, si Deum consideramus, ut ab omnibus omni ex parte solutum: sic super Cœlum collocatur. propterea Plato in Phædro locum supercœlestem miris laudibus commendandum afferuit: & Orpheus de Deo cecinit:

Cuncta fouens, atq[ue] ipse ferens super omnia seſe.

Quod si etiā præcipuum aliquē locū ei assi gnare volumus, id efficere possumus dupli citer: primō, respiciendo ad ea, quæ verè sunt: ideo dicimus, Deum in culmine mentis luce re: secundō, respiciendo ad corpora; sic in Cœlo, & in excelsis habitat. de quo cecinit Homer.

C 4

Esse solum diuis subnixum semper Olympum

Fama est, hanc ventis tremefactum, haud im-
bribus vultum.

Et in Psalmis legitur; Cœlum, cœli Domi-
no; terram autem dedit filiis hominum. De-
mum non sine ratione Deus in Sole esse dici-
tur, iuxta illud; In Sole posuit tabernaculum
suum. Quod verum est; primo, quia Sol est vi-
sibilis imago eius, ut cum antiquis Theologis
dixit Plato: secundo, quia manifestissime per
Solem, in hunc mortalem orbem suas vires ef-
fundit; quibus de rebus Arist. revera à Platone
non dissentit.

De Prouidentia.

CAP. IX.

PRINCIPI adeò propria est prouiden-
tia, ut sine ea nec dici Princeps, nec
esse ullo pacto valeat; & quō Princeps fuerit eminentior, eo eminen-
tior ei prouidentia conuenit: Deus omnium
consensu, Princeps est eminentissimus: iure
itaque ei prouidentia conuenit suprema, & e-
minentissima: quod etiā eo confirmatur; quia
principis, ob dependētiā populorum ab eo,
mirumque cum eo nexus, maximē proprius
est amor erga populos; ex amore consurgit de-
re amata cura, & sollicitudo; à Deo maxime
pendet Mundus, & nūl in eo est, quod nō pen-
deat ab illo; maximē itaque diligitur, & si ma-
ximē diligitur, etiam summopere curatur.

Id